



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Applicatio quinque sensuum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Solida devotionis exercitia. 5

orationis orationem Dominicam ; & tam diu in voce *Pater* hæreas , quàm diu circa eam tibi significatio aliqua , similitudo , spiritualis gustus , aut alia commotio divina incidit ; & eodem postea modo alias voces percurras. *3tius*
Modus est : Ut inter singulas respirandi vices singula orationis Dominicæ , aut alterius v. g. Psalmi verba transmittas ; expensa interim vel significatione prolatae vocis vel personæ , ad quam oratio fit , dignitate , vel tuâ ipsius utilitate , vel rei æquitate , affectibus brevibus , congruis intermixtis.

Applicatio quinque sensuum.

2da Praxis est applicatio quinque sensuum pariter à S. P. N. edocta ; quæ in tantum à meditatione propriè tali differt ; quòd hæc sit magis intellectualis , & solidius investiget per ratiocinationem causas effecta , attributa , &c. applicatio autem sensuum non discurrat , vel saltem non ita ; & tantum inhæreat sensibilibus. Est autem valdè utilis imprimis non satis adhuc instructo ad altiora capienda , ad quæ tamen paulatim disponit & elevat. Deinde anima etiam impinguata meditationibus mysteriorum invenit passum descendendo ad illa sensibilia. Vide exemplar ejusmodi meditationis in lib. Exercit. S. P. N. Hebd. primâ exercitio 5. de inferno. Post exercitium cujuslibet sensûs miscendi sunt affectus similes iis , qui ex his illis rebus , p. r. sensus externos perceptis , oriri naturaliter

raliter solent. Et tota meditatio colloquio claudenda est.

Meditatio de personis, verbis, actionibus.

3tia Praxis, si meditationem in tria puncta distribuas scilicet personarum, verborum, & operum vel actionum. *In personis* considerantur exteriora, interiora, potentia animae, professio, officium, pulchritudo vel sceditas virtutis aut vitio affectorum &c. quibus addi potest locus. Sicut S. P. N. in meditatione de duobus vexillis contemplatur Christum humili constitutum loco. *In verbis*, quo etiam cogitationes referuntur, consideratur; quid laudandum, vituperandum, quem sensum energiam habeant. Item quid probabiliter tales personae dicere potuerint. Ipsum etiam earum silentium cum variis circumstantiis considerari potest. *In actionibus* considerantur earum natura, qualitates, circumstantiae loci, temporis, modi, motiva, effectus. Quam magnum scilicet meritum sibi vel aliis, perfectionem, gloriam, favorem apud Deum & homines quis sit promeritus; aut certe his contraria sibi compararit is; qui talem actionem peregit. Non tamen est opus; ut singula enucleate examinentur; sed sufficit haerere in uno vel altero, prout citius vel tardius documentum elucet, vel affectus consurgit. Suadetur etiam, ut praevie deliberetur, quanam circumstantiae utiliùs expendi, quanam documenta magis salutaria erui possint. Possuntque
hoc